

**Carolus Porée**

**‘Brutus’**

Tragoedia  
(1708)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Februar 2006

## Argumentum

L. Iunius Brutus, Tarquiniis in exilium actis, primus Consul a Romanis creatus, filios suos, quod cum Aquiliis et Vitelliis ad recipiendum in Urbem Tarquinios coniuraverant, virgis caesos securi percussit.

## Personae

Brutus	Primus Rom. Consul
Pub. Valerius	Consul alter
Tiberius	Bruti filius natu maior
Titus	Bruti filius natu minor
Marc. Valerius	Pub. Val. filius
Albinus	Tarquinii legatus
Sulpicius	Cohortis praefectus
<Milites>	

*Scena Romae in palatio Bruti.*

## Actus primus

### Scena prima

Marcus Valerius, Tiberius

Marc.	Confide, Tiberi: Regibus tandem favet Aquilius ille, bellica toties caput Lauro revinctus, qui manu tantum morae Afferre coeptis poterat et poterit manu Iuvare tantum. pertinax haesit diu Et obstinata mente Tarquiniis opem Spondere renuit, donec e Bruti domo Ipsoque Bruti sanguine asserui fore, Qui sponte tanti se daret facti ducem. Tunc ille, vix dum nomine audito, ‘bene est: Auctore tali, quodlibet facinus licet Audere’, dixit.	5 10
Tib.	patere complexus meos. O fausta, Marce, nuncia! ut totum imbuit Laetitia pectus! ergo lux illa imminet, Qua victa, supplex Roma Tarquinium suis Receptum adoret moenibus, post tam graves Quas ille poenas, pulsus exilio, dedit. Qualem triumphum crastina huic pariet dies! Proh! quanta amicis gaudia! haec animo cape. Hos, Marce, reditus praecipe.	15
Marc.	admonitu pavet	20
Tib.	Horretque pectus.	
Tib.	corda quis subitus pavor Horrorve pulsat?	
Marc.	sede Tarquinium sua Pepulere nuper Consules; revocant modo Utroque geniti Consule. est Brutus tibi, Est mihi Valerius genitor, et Regno tamen Favemus ambo. uterque quod sanxit pater, Utriusque proles reddere infectum parat.	25
Tib.	Iniqua patrum facta progenies patrum Abolere debet. ista cur autem recens Religio mentem vellicat? cur non prius Iniecta menti, cum tuam Albinus fidem Regum poposcit nomine?	30
Marc.	haud animus videt Vim sceleris omnem, cum procul positum est scelus	

	Et, qua potest placere, se menti obiicit. At cum patrandum est et sub aspectum venit, Tunc, si quis animo residet infixus pudor, Sceleris imago proximi attonitam quatit Horrore mentem.	35
Tib.	qui modo horrebat nihil, Nunc animus horret omnia. heu! quam me tuo Terrore terres, Marce!	
Marc.	terrorem abiice. Facienda damno crimina et faciam tamen, Me nulla quanquam, tota te merces manet. Summosque honores spondeant Reges tibi; Me patere tantum odisse, quod facio scelus.	40
Tib.	Fateor, honores spondet Albinus mihi; Sed nulla merces, sola libertas manum In arma cogit. ipse sis Regum gener, Suamque tibi Tarquinia promittat fidem; Non invidebo, dum iugum excutiam novum Redeatque, Rege reduce, libertas vetus.	45
Marc.	Dux ipse facti, praemium facti cape, Quodcumque Reges offerunt. veteri fidem Servasse amico nec metu fractum retro Pedem tulisse dicar; hoc unum ambio, Haec nostra merces.	50
Tib.	hanc feres.	
Marc.	age, quas sibi In opere tanto vindicat partes Titus? Fratremne sequitur frater?	55
Tib.	incertus manet, Seu patris iram sive fortunam timet. Albinus hodie castra non repetet prius, Quam tentet iterum, si quid invictum queat Mollire pectus.	60
Marc.	ecce conspectum subit. Alloquere: forte iam dabit victas manus. Reviso Aquilium, pacta ne titubet fides.	

## Scena secunda

Tiberius, Titus

- |      |   |    |
|------|---|----|
| Tib. | Quae causa, frater, vertit huc gressus tuos?<br>Nostrisne melior mente consiliis faves?   | 65 |
| Tit. | Omitte, Tiberi, omitte tam dirum nefas<br>Sperare de me; tuque mentem, dum potes<br>Mutare, muta. frater hoc fratrem rogat.<br>Haec causa suadet petere congressus tuos.          |    |
| Tib. | Meliora, quaeso, loquere. nam quod, per Iovem,<br>Sperare tantum de Tito potui nefas?   | 70 |
| Tit. | Suadere quod vis, nocte quod media exequi<br>Armata properat dextera.   |    |
| Tib. | armatam manum<br>Praebere miseris, Regiae avulsum decus<br>Asserere fronti, erigere deiectum gravi<br>Solum ruina; id, frater, appellas scelus.                                   | 75 |
| Tit. | Violare patris iussa, revocare exules,<br>Spretis Senatus legibus, patriam hostium<br>Ultro furori dedere, appello scelus.  |    |
| Tib. | Violare iussa, iniqua si iubeat pater,<br>Revocare pulsos Urbe, per summum nefas,<br>Patriae parentes reddere, ubi tandem scelus?   | 80 |
| Tit. | Fueritne Roma eiicere Tarquinios nefas,<br>Sextine culpam luere debuerit pater,<br>Nil quaero: taceo Regiae crimen domus;<br>Nec tua querelis funera urgebo meis,                 | 85 |
|      | Lucretia, eadem generis opprobrium et decus.<br>Potuerit, esto, levius hoc plecti scelus;<br>Quamquam nefando poena quae potuit stupro<br>Gravior rependi? at Regios ultra nequit |    |
|      | Tolerare fastus Roma: servitii pudet;<br>Domino piget parere, qui, quod vult, potest,<br>Cui lex voluntas, cuius ad nutum tremit<br>Suspensa plebes, qui supercilio gravi         | 90 |
|      | Vitae necisque mutat arbitrio vices.<br>Quid multa? Regnum experta, nunc Regnum fugit,<br>Servire metuit Roma, libertas placet.   |    |
| Tib. | Plebeia, nomen dulce, libertas trahit<br>Mulcetque corda; triste servitium pavent.<br>Sed vana imago fallit incautum genus.<br>Servire metuit Roma, libertas placet;              | 95 |
|      | An stare, Regno stante, libertas nequit?  |    |

	Stat illa coelo, et regnat in coelo Deum Hominumque rector, mortis ac vitae arbiter, Cui lex voluntas, cuncta qui nutu regit Regesque terris dat sui vicarios.	105
	Servire metuit Roma, libertas placet; Et hanc daturum Consulem Romae autumas? Mihi crede, rupit vincula, ut nobis daret Graviora Consul. falleris, Tite, nec vides	110
	Heu! quanta nobis auferat secum bona Eversa Regni forma et imperii decus; Heu! quanta nobis advehat secum mala Rerum potestas tradita in plebis manus.	
	Deiicimur altiore praecipites gradu, Quo nos merentes extulit virtus patrum; Humiles iacemus, plebe permixti infima. Periere procerum iura, libertas perit.	115
Tit.	Privata pereant commoda et cedant loco, Commune poscat si bonum et populi salus.	120
Tib.	Privata omittam commoda et sileam lubens, Commune poscat si bonum et populi salus. At quid Senatus commodi in plebem potest Conferre tantum? quidve, mutata vice,	
	Plebs in Senatum? ipsa, ipsa quid plebes erit Orbata Rege? quis erit imperii status?	125
	Immane corpus, cui sit avulsum caput Cuiusque membra, vinculo nunquam satis Compacta firmo, distrahet caecus furor.	
	Heu! quos tumultus, quanta patietur brevi Dissidia vulgus, lurida ut primum face Cives potentes livor accendet malus, Et hic priorem renuet, hic renuet parem!	130
	Iam cerno Romam sanguine aspersam suo, Iam bella surgunt, civis in civem aemulus, Plebs in Senatum, Romaque in Romam ruit.	
	Dii patrii omen irritum faciant precor! At hoc meretur illa, quod Reges suos Male ulta, turpe subigit exilium pati.	135
	Ingrata nimium Roma, iamne tuo potest Animo excidisse, debeas quantum pio Regum labori? hos moenia et iura et Deos Et, quidquid es, dedisse? quo stares loco,	
	Si non iacentem Regiae eveherent manus?	140
	Et hoc rependis praemium, hanc redditis vicem? At perge porro, perge, quod suadet furor, Odisse Reges. veniet aliquando dies, Cervice domita, cum feres illud iugum,	145

	Quod nunc recusas, senties tandem duce Quid sit carere.	
Tit.	at nonne praestabit ducem	150
	Dux ipse Consul?	
Tib.	quem mihi memoras ducem? Qui nempe, spatio se videns clausum annuo, Nil molietur grande, ne Consul sibi Eripiat alter operis incaerti decus. Et vel rapaci multa corradet manu,	
	Vitam ut queat tolerare privatam diu; Donisve plebem redimet incautam suis, Lapsos honores ut sibi referat brevi.	155
Tit.	Fateor, abuti Consul imperio potest. At paret ulti Consuli, Regi abnuit	
	Parere vulgus.	160
Tib.	tu'n mihi obiicias levem Coecamque turbam? vulgus ignoras adhuc Ut nunc refigat illa, quae sanxit modo, Modo ut requirat illa, quae fugit prius. Reges amabat et minores ceu Deos	
	Nuper colebat, nunc suis spoliat bonis, Patria atque Regno. forsan ad solii decus, Dura subactus sorte et oppressus malis, Illos reposcet olim et imperii volet	165
	Revocare formam. ne velit sero nimis, Cavere nostrum est.	170

### Scena tertia

Tiberius, Titus, Sulpicius

Sul.	en, Tite, affatus tuos Legatus orat, si tamen per te arbitris Liceat remotis.	
Tit.	veniat.	
Tib.	abscedo et precor, Tecum revolvas, quid tua et fratriss salus, Quid ipsa poscat patria, quid Rex, quid Dei.	175

## Scena quarta

Titus, Albinus

- |      |   |     |
|------|---|-----|
| Alb. | Non ante Roma deceat Albinum egredi<br>Regesque adire, quam tua excipiat, Tite,<br>Imperia. quid me dicere exilibus iubes?  |     |
| Tit. | Quod saepe dixi, Albine: me tristem exulum<br>Dolere sortem.  |     |
| Alb. | quam doles sortem, potes<br>Facere beatam, teque facturum putant.   | 180 |
| Tit. | Si quam liceret ferre Tarquiniis opem,<br>Dudum tulisse. flere fortunae vices<br>Taciteque vota fundere, hoc unum licet.  |     |
| Alb. | Inane magnis lacryma auxilium malis,<br>Parumque prosunt vota, ubi factis opus.<br>Tune immerentem duro in exilio mori<br>Patiare Regem lento? ergo sic amas?<br>Non sic amabat ille. meministi aut potes<br>Meminisce, quoties Regium fastum exuens,<br>Solio relicto, peteret amplexus tuos.  | 185 |
|      | Illum parentem crederes, animum patris<br>Sic induebat; fecit hoc sceptrta obtinens<br>Nondumque sortis passus adversae vices.<br>Quid faceret idem expertus auxilium Titi?<br>Sed omne renuit exuli auxilium Titus.  | 190 |
|      | Heu! qualis aegro pectori accedet dolor<br>Stuporve quantus, tristia ut primum audiet,<br>Quae mox reporto, nuntia! ut nullam sciet<br>Spem sibi relictam, nec suis illum malis<br>Titum moveri, quem sibi addictum antea<br>Rebus secundis, quem sibi adversis quoque,<br>Si quando laetas fata mutarent vices,<br>Olim putavit semper addictum fore.<br>Heu! spes inanes! | 195 |
| Tit. | dure, Tarquinii vicem   | 200 |
|      | Quam tulerim iniqua mente, non patuit satis?<br>Non tu madentes saepe vidisti genas?<br>Non ego Senatum, ut patria exilibus bona<br>Reddi iuberet, compuli occulta prece?   | 205 |
| Alb. | Quantum querelis additum per te meis<br>Pondus recordor; patria Tarquinii bona<br>Per te recepi. at ipse sat nosti, Tite:<br>Aliud reposco. sceptrta qui Regi sua   | 210 |

	Gestanda reddat, quaero. quid quaero tamen, Quod sponte nobis obtulit Superum favor? Te fata Regum iniqua, te nostrae movent Lacrymae precesque: sentio; auxilium dabis Et sceptra reddes. <i>sceptrum, quod gerebat occultum, Tito praebet.</i> reddere ut possis, cape.	215
Tit.	Superi! quid offers?	
Alb.	dexteræ sceptrum offero. Non alia melius reddere hoc Regi queat.	220
Tit.	Sceptrumne tectis Consulum inferre audeas, Albine? sceptrum tangere haec ausit manus?	
Alb.	Quae dextra sceptrum tangit, ut domino afferat, Non illa temere tangit, haec tractat pie. Hoc sume.	
Tit.	refugit dextera.	
Alb.	abiicio ad pedes.	225
	<i>sceptrum deponit ad pedes Titi.</i>	
Tit.	Illud resume et oxyus tecum refer.	
Alb.	Illud relinquo. tu vide, an Regem velis Carere sceptro an Regium malis decus Recepere per te. <i>tingit se abire.</i>	
Tit.	quo fugis?	
Alb.	Roma pedem Efferre propero, iam meas functus vices.	230
	<i>Titus sceptrum colligit, Albinum vetat egredi.</i>	
Tit.	Albine, pignus recipe depositum male.	

## Scena quinta

Tiberius, Titus, Albinus

Tib.	Quis clamor aures impulit? quaenam ferit Oculos imago? quae manus sceptrum tenet? Reflecte gressum, Albine.	
Tit.	quod posuit, iube, Fatale pignus efferat Bruti domo.	235
Alb.	Frustra iubebit. redde Tarquinio, Tite, Vel trade fratri et, frater ut reddat, iube.	
Tit.	Me'n hoc iubere? iussa num deceat mea Excipere fratrem?	

Tib.	quidlibet iubeas, vides	
	Parere promptum. loquere.	
Tit.	vox haeret.	
Alb.		moras
	Abrumpe.	
Tit.	trepidat dextra.	
Tib.		quin reddi iubes?
Tit.	Hoc redde.	
Tib.	cuinam?	
Tit.		redde, cui reddi decet.
Tib.	sceptrum sumit et fratrem amplectitur.	
	Accipio iussa, o frater.	
Alb.	Titi manum osculans	
		o Regum, Tite,
	Columen et ultor.	
Tit.		sinite me: fugiam hinc miser.
	Quid lingua dixit?	
Tib.	castra Tarquinii celer,	
	Albine, repeate. testor hoc sceptrum et Deos!	
	Aut reddet Urbi crastinus Regem dies	
	Aut iste venis totus exibit cruor.	

## Actus secundus

### Scena prima

Brutus, Sulpicius

Bru.	Brevi sciemus, Sulpici, quae sit fides Habenda monitis, anne Tarquinius velit Armis dolisve sternere ad solium viam. Dirae ministrum fraudis Albinum et, sibi Quoscumque comites addidit, iussu meo Miles tenebit, dum efferent Roma pedem. Ambos vocavi liberos, aderunt brevi Uterque, patri haud irritam, si res feret, Operam daturi.	250
Sul.	liberis uti cave, Tanto in tumultu.	
Bru.	sat scio: haud solam manum Res ista poscit, exigit mentem arduam, Magni capacem consili. at mens et manus Utrique nato est, praeter aetatem sapit Uterque.	260
Sul.	uterque ne nimis sapiat, time.	
Bru.	Aperta loquere, numquid illorum fides Suspecta? numquid Regis insidias fovent?	
Sul.	Invitus equidem, Brute, suspectos patri Nunc reddo natos; sed iubet patriae salus. Hos saepe vidi flere Tarquinii vicem Et saepe vidi multa cum Albino loqui. Potui timere, ne quid instruerent doli. Sed ne timore credulo facerem reos,	265
	Animo timores expuli, donec Titum Albinus, aliquid mente consilii obtegens, Convenit hodie, et clanculum egerunt simul.	
Bru.	Nil suspicandum, Sulpici: novi Titum; Patri probata non semel Tiberi fides. Sed ne tuos me spernere admonitus putas, Tentabo utrumque; si quid arcani tegunt, Brevi revellam. vade, collegam admone, Praesidia Romae geminet ac multa forum Cingat cohorte. at ecce se sponte obtulit.	270 275 280

## Scena secunda

Brutus, Publius Valerius

- Pub. Ecquis vel unde serpit erumpens palam  
 Rumor malignus, Consulum in gente et domo  
 Promptam, paratam habere Tarquinios opem?  
 Vox ista non te, Brute, me solum petit,  
 Me laedit unum. iam mea in dubium fides  
 Tacite vocatur, quamlibet culpa vacet;  
 Iam Roma repetit, quos mihi fasces dedit.  
 Sic ille nuper, qui tibi consors datus,  
 Rumore iniquo et civium iniusto metu  
 Premente, cessit munere et, patrio brevi  
 Solo coactus cedere, exilium tulit,  
 Pretium laborum. vita si nondum bene,  
 Qui sim, probavit, si quis a nobis timor,  
 Romam timore solvo et, invidiae locus  
 Ne quis supersit, quod mihi invito dedit,  
 Munus remitto. 285
- Bru. quod dedit, munus gere,  
 Donec reposcat. quisquis imperii tenet  
 Regitque clavum, semper invidiae patet.  
 Sed vera virtus spernit invidiam aut premit.  
 Virtute famam vince, rumores malos  
 Factis refelle. Consulum in gente et domo  
 Fama est paratam habere Tarquinios opem:  
 Ostende pomptam opprimere Tarquinios manum.  
 Praesidia Romae gemina et Albinum, meo  
 Iussu revinctum dum mihi lictor trahet,  
 Consiste in armis, civicos motus preme,  
 Si forte surgant; odia sic Regi bene,  
 Sic Romae amorem hac luce restari potes.  
 Si patriae amantem se probat Consul bene 300
- Pub. Odio Tyranni, nemo se patriae et tibi  
 Melius probarit. 310
- Bru. nec satis: forsitan tuis  
 Meisque forsitan perfidus tectis latet,  
 Qui iam obligarit Regibus dextram et caput  
 Hostemque celet fronte. testemur Deos,  
 Nunquam futurum, Regibus quisquis favet,  
 Per nos inultum. 315

Pub.	omitt. quid nostrum iuvet Vovere poenis sanguinem? est sanguis tuus Meusque sceleris purus.	
Bru.	at fieri nocens Ne deinde possit, nostra ne trepidet manus. Si forte patrem poscat ultorem scelus, Iuremus ambo, te meae stirpis fore Et me futurum iudicem pariter tuae.	320
Pub.	Si quis meorum crimine adstringat caput, Illum tibi patriaeque permitto volens. Sed ominari desine et vanos metus Inserere cordi neu sacramentum exige. Sat vera constat sine sacramento fides. Exempla natis demus, exemplis reos Vetemus esse. amore, non poenae metu Suadenda virtus liberis.	325
Bru.	omni modo Suadenda: amore, precibus, exemplo, minis.	330

### Scena tertia

Brutus, Tiberius, Titus

Bru.	Hodie probandus vester est animus, fides Probanda, nati: vindices posco manus.	
Tib.	Quod vindicandum facinus incumbit, pater?	
Bru.	Audax, abominandum, inauditum scelus.	335
Tit.	Eloquere: quod sit facinus, hoc tantum edoce.	
Bru.	Meministis, et meminisse sat cogit dolor, Quam non ferendo presserit Romam iugo Olim Superbus: parta per geminum nefas Ut inquinavit sceptra, praeteritis nova Sceleribus addens scelera; meministis toros	340
	Lucretiae, quos Sextus infami stupro Maculavit, isto se probans dignum patre; Vidistisensem sanguine aspersum pio, Quem casta mulier fudit, alienum scelus	
	Raptumque honorem propria ulciscens nece. Servile, per me, Roma depositum iugum; Per me, insolentes Regis iniusti minas Tumidosque fastus contudit. quod si volens	345
	Datum a Senatu Consulis munus tuli,	350

	Hac mente cepi, ut patriae infensum caput, Armatus isto nomine, arcerem procul. Sed enim Tyrannum arcere quid prodest mihi? Quid liberasse patriam infami iugo? Si Roma cives perditos gremio fovet, Qui reddere ipsam vinculis iterum velint, Bruto perempto scilicet! verum impii Sunt occupandi, morte perdendi prius Et obruendi, obruere quam Romam queant. Quis ora, nati, subitus accendit rubor? Quis frontis horror?	355
Tit.	audiam tantum nefas, Nec fronte sparsus horror insideat, pater?	
Tib.	Quisquamne civis patriae interitum velit?	
Bru.	Vix ipse tantum, vix adhuc credo scelus. Sed credo: certum est.	
Tib.	patriae ultricem manum	365
	Tiberius offert.	
Tit.	devovet vitam Titus. Me mille pro te perfodi plagis sinam Et mille pro te perferam laetus neces.	
Bru.	Generosa proles! sanguinem agnosco meum. Adeste, nati, ruite in amplexum patris.	
	Agnosco: nondum penitus exscindi placet Caelitibus Urbem, tale qui miserae sinunt Superesse columen patriae. at factis opus: Remedia praesens lenta non patitur malum.	370
Tib.	Habes paratum.	
Tit.	ad quaelibet promptam vides	375
	Imperia dextram.	
Bru.	tecta custodi, Tite, Ipsosque serva, qui domum servant, Deos. Cape arma, Tiberi, et excuba muris vigil, Ne qua imparatos occupet Regum furor.	
	Quaeram execrandae fraudis interea duces Ferroque et igne persequar; testor Iovem Et te, Quirine! quisquis in patriam impius Scelerata tulerit arma, plectetur nece.	380
	Non ipse vestro sanguine horruerim manus Imbuere, nati, vestra si tantum nefas	
	Fovere corda crederem.	385

## Scena quarta

Tiberius, Titus

Tit.	heu! quales minas!	
	Has, frater, audis?	
Tib.	audio.	
Tit.	nec te movent	
	Frontis paternae nubila et iam iam ingruens	
	Capiti procella et prodita arcani fides?	
Tib.	Nil te parentis terreant steriles minae.	390
	Ardente vultu fulgurat, voce intonat,	
	Sed iste nullum parturit fulmen fragor.	
	Hoc crede, frater: nemo sociorum fidem	
	Fefellit; illi iure iurando gravi,	
	Pateram tenentes sanguine imbutam sacro,	395
	Se se obligarunt nec semel pacti Deos	
	Fecere testes.	
Tit.	spernit absentes Deos	
	Positosque longe, quisquis instantem videt	
	Propius timorem. si tibi pactam fidem	
	Nemo fefellit, unde rescivit pater	400
	Fraudes parari?	
Tib.	suspicax animus patris	
	Amat timere multa, ne cautus parum	
	Possit videri; at ille, dum multum cavit,	
	Adverte, queso, quam sibi caveat male:	
	Excipere Regem moenibus propero; et iubet,	405
	Ne qua imparatos occupet Regum furor,	
	Ut cinctus armis excubem muris vigil.	
	Et, nostra patri coepta ne pateant, times?	
Tit.	Nescio quis animum terror invitum subit.	
	Sed timeo, frater.	
Tib.	quid times?	
Tit.	timeo omnia.	410
	Tibique timerem minus, amarem si minus.	
Tib.	At ecce Marcus. fors tibi excutiet metum,	
	Et dicet ...	

## Scena quinta

Tiberius, Titus, Marcus Valerius

- Marc. exi, sequere.
- Tib. quo properas?
- Marc. scies.
- Tit. Consiste, quo fratrem abripis?
- Marc. quo res vocat.
- Tit. Et quo vocetur ille, me scire est nefas? 415
- Marc. Arcana fratrem multa fraterno licet  
Celare amori.
- Tit. mene celari tua  
Consilia, frater, crimine implicitum tuo?
- Tib. Consilia fratrem nulla celatum velim.  
Hoc retege, Marce, quidquid arcani tegis. 420
- Marc. Actum est, perimus: Regibus pactam fidem  
Aliquis fefellit.
- Tib. ecquis?
- Marc. hoc unum scio:  
Quaecumque Regis castra, legato duce,  
Furtim petebat lecta sociorum manus,  
Oppressa cecidit. fortis heu! frustra perit  
Aquilius ipse, et mole vinclorum gravem,  
Bruto iubente, miles Albinum rapit  
Trahiturque. 425
- Tib. nullas dextra iam patitur moras.  
Fixum ratumque; maius audendum est scelus,  
Quam quod parabam.
- Tit. siste, quo raperis miser? 430
- Tib. Rapior in hostes: militi Albinum eximo  
Vel morior.
- Tit. hostes ergo quos fingis tibi?  
Tuosne cives, Consulem?
- Tib. cives meos,  
Plebem, Senatum, Consules, homines, Deos.  
Quicumque coeptis audet obniti meis,  
Hostem esse reputo. reddit Albinum pater, 435  
Aut ...
- Tit. dure, nullum dextra si refugit nefas,  
Si nec paterno sanguine aspergi timet,  
Fraternus illam sanguis aspergat prior.  
Minora maius sclera praecedant scelus. 440

- |       |  |     |
|-------|--|-----|
| Marc. | Omitte, Tiberi, ruere in exitium volens.<br>Nil dextra densum militem contra potest<br>Tentare ferro. nil, patrem contra, licet.<br>Quod liceat unum, castra Tarquinii fuga<br>Celeri petamus.   |     |
| Tit.  | tune, deserto patre<br>Patriaque, suades triste perfugium foris,<br>Medios per hostes, quaerere et veniae viam<br>Praecludere omnem? potius, ah! potius prece<br>Ambire utrumque Consulem, amplecti pedes,<br>Crimen fateri deceat. in natis habet<br>Reos uterque, uterque misereri sciet<br>Parcetque. | 445 |
| Tib.  | timida, ignava nequidquam obiicis<br>Consilia. nemo has supplices vidit manus,<br>Nemo videbit.  |     |
| Tit.  | supplicem natum parens<br>Potest videre. nullus est precibus pudor,<br>Cum, qui rogatur, munere accepit Deum<br>Veniam rogari posse.   | 455 |
| Tib.  | det veniam mihi<br>Pater roganti, Consul an reliquis dabit<br>Pari obligatis crimine? at certum est tamen<br>Omnes periculo eximere. sin prohibent Dei,<br>Una perire. vade: quos stravit metus,<br>Tu, Marce, socios erige. interea vias<br>Quaeram salutis.  | 460 |
| Marc. | <i>egrediens e theatro</i><br>spernis oblatam et peris.  |     |
| Tib.  | Patrem opperire: nostra num penitus sciat<br>Consilia solers, inspice et fratrem edoce.  |     |
| Tit.  | Tu fratre ne quid inscio attentes, vide.<br>Tecum innocens volo esse vel tecum nocens.   | 465 |

## Actus tertius

### Scena prima

Brutus, Publius Valerius

- Pub. Laetare, Brute: en, illa tempestas gravem  
Urbi ruinam, civibus stragem inferens,  
Per te repulsa, per te in auctorum caput  
Conversa, laurum peperit aeternam tibi.  
Vincis, triumphas, liberas Romam metu. 470
- Bru. Non hic triumphis aptus illuxit dies.  
Aeterna laurus illa, quam peperit mihi  
Furor repressus hostium, aspergi meo  
Potest cruento et ipsa mutari potest  
Laurus cupresso. 475
- Pub. nempe Tarquinium times  
Eiectum, egentem?
- Bru. solus o utinam foret  
Tarquinius hostis!
- Pub. tune servilem manum  
In castra Regis transfugam aut caeso Duce  
Trepide latentem metuis? 480
- Bru. hostis, dum latet,  
Securus infert vulnera et gravius ferit,  
Quam dum, reiecta fronte, manifestis palam  
Decertat odiis.
- Pub. iam ferire hostis nequit.  
Nullus furori, nullus insidiis locus  
Relictus ultra; miles excubias agit  
Portas ad omnes, compita et vicos tenet  
Equitum fidelis turma, discurrit, volat,  
Si forte latebris exerat timidum caput  
Imbelli vulgus. 485
- Bru. ista sedulitas placet.  
Sic perge, sic te Consulem Romae approba.  
I nunc, catenas detrahe Albino et, dolos  
Ne moliatur deinde vel plebem suis  
Moveat querelis, egredi Roma iube.
- Pub. Iubebo. sed tu fronte nescio quid tegis:  
Oculi minaces fulgurant, vultu dolor  
Horrone mixtus emicat. suspiria,  
Quamvis recondas pectore, erumpunt tamen:  
Quid esse dicam? liberas patriam et gemis. 495

Bru.	Gemitus reposcit patria atque utinam nihil Ultra reposcat!	500
Pub.	dubia quid coecis iuvat Torquere dictis pectora? ambiguas, precor, Omitte voces, fare: nostra num doles Metuisve causa? numquis e Valeri domo Scelere implicatus?	
Bru.	vive securus pater Et prole felix.	505
Pub.	ipse sis felix diu, Cuius salute tota stat patriae salus.	

## Scena secunda

Brutus

Bru.	Accerse natos, lictor, ... hoc credam nefas? Credam rebelles in patrem et patriam manus Armasse natos? ergo Tarquinios foris Movere bella, perditos cives domi Acuere ferrum, struere legatum dolos, In me tot hostes surgere haud fuerat satis, Si non et in me sanguis exurgat meus Nimiumque carus sanguis? heu! quales mihi Opponis hostes, Roma, quod bellum paras? Iam non Etruscorum inter obstantes globos, Non Regia inter castra quaerendus procul Invisus hostis. hunc miser foveo sinu, Hoc castra posuit pectore, hic pugnam movet	510
	Amatus hostis. perdere ut possim, in mea Adigendus ensis viscera, o duras vices!	520

### Scena tertia

Brutus, Titus

- Bru. Tune, Tite, tune patriae exitium paras  
Patrique mortem?
- Tit. quod scelus nato exprobras,  
Dilecte genitor? patriae exitium parem  
Mortemque patri? credere hoc Brutus potest  
Titumque tanti facere sacrilegi reum?  
525
- Bru. Reus ergo frater?
- Tit. nec ego nec frater reus.  
Amat parentem uterque.
- Bru. si neuter nocens,  
Quem signat igitur illa vox Aquili ultima,  
Qui factionis Principem asseruit meo  
Sinu foveri, et sanguinis partem mei?  
Heu dira vox! vox certa et incerta heu! nimis!  
Coniurat in me natus, hoc certum nimis;  
Uter ille vero natus, incertum nimis.  
530
- Ah! quin silebas, barbare, aut melius mihi  
Quin indicabas perfidum? incautus pater,  
Si tu silebas, filii caderet dolis.
- Esto: perire non foret satius patri,  
Quam sic paternum pectus in geminas trahi  
Utrinque partes? liberos inter reum  
535
- Videre nec dum nosse? ... sed noscam brevi:  
Vel proditorem frater ostendet modo,  
Vel ...
- Tit. siste. quid vis frater ostendat tibi?
- Bru. Celare quod vis: quis sit amborum reus;  
Cur ille, cur tu clanculum toties domi  
Aures doloso dederis Albino; an tibi  
Immane crimen suaserit, scire hoc volo.  
Hoc eruendum; hoc omnibus quaeram modis,  
Poenas per omnes.  
545
- Tit. desine. haud opus est minis.  
En, me nocentem sisto.
- Bru. proditor est Titus?
- Tit. Quamquam fateri poenitet, fateor tamen.
- Bru. Patriam patremque prodis, infandum caput,  
Et patris ultra ferre conspectum potes!  
Et ferre tantum sustinet crimen pater!  
550

	At non inultus perferam: meritas dabis, Sacrilege, poenas; sanguine expendes scelus.	
Tit.	Pigeat inanes fundere incassum minas. Age, fode nati pectus; en, totum patet. Non refugit ictum, vulneri occurrit libens Nimiumque lentam queritur ulti manum.	560
Bru.	Ignave, lentam quereris ulti manum; Avidam cruoris scilicet, similem tuae, Ad omne semper facinus exertam putas. Erras, Tite, erras; illa vel iustum impetum Amat morari, ut iustius poenam inferat. Moriere, sed moriere carnificis manu.	565

### Scena quarta

Brutus, Tiberius, Titus, Sulpicius

Bru.	<i>ad Tiberium</i> Ah, nate!	
Tib.	genitor!	
Bru.	vix loqui patitur dolor. Sic parricida prodat et patriam et patrem!	
Tib.	Ecquis scelestus?	
Bru.	quaeris? accivi modo Utrumque; coram utroque testatus Deos, Quicumque Regi vellet auxilium dare, Pro scelere poenas, ipse vel natus foret, Fuso daturum sanguine. o verum nimis Nimisque fatale omen! egressus domo	570
	Illuc citato me tuli praeceps gradu, Quo me vocabat subitus armorum fragor: Audax perire Aquilius et timidus capi Properante dextra iam sibi intulerat necem,	575
	Iustum recondens impio ferrum sinu. Iacebat ille strage confusa super Semianimis, ater vulnere undabat crux. Accedo proprius: perfido civi ingero,	580
	Quae probra meruit; ille me contra intuens Animamque tremulis pene fugientem labris Paulum moratus, probra ut obiiceret probris, ‘Quid me iacentem, Consul, increpitans’, ait? ‘Quid factionis impium appellas Ducem?’	585

	Dum factionis Principem gremio foves, Dum cara patri dextra, dum sanguis tuus, Tuus ipse sanguis ... ', dixit ac vocem premit, Alioque vertens lumina et diram evomens Animam, execrandus perfuga ingentes mihi Curas reliquit: dubius, incertus feror, Quem verba spectent ista, quid monstri tegant. Sed quod maligno presserat silentio, Illud retexit conscius culpae Titus.	590
Tib.	<i>furens a parte</i> Titus retexit!	
Bru.	testor, en, iterum Deos! Te vindicabo, Roma. ades propere, advola, Capesse iussa, Sulpici.	
Sul.	en, adsum: iube.	600

## Scena quinta

Tiberius, Titus

Tib.	Periure, frater, perfide, ingrate, impie, Sic iura amoris, sic datam violas fidem! Arcana profers! ergo fraternalm manum Gladio parantem quaerere auxilium malis Ideo tenebas, fratris ut miserum caput Patris furori traderes; istos mihi Laqueos parabas? nunc siles ... decuit prius Silere, cum me proderet lingua impotens. At quid moratur dextra, perfidiae ocyus Quin ense poenas repetat? <i>gladium arripit</i>	605
------	---	-----

## Scena sexta

Tiberius, Titus, Sulpicius

Sul.	<i>ad Titum</i>		
		exarma latus	610
	Gladiumque pone.		
Tit.		pono.	
Tib.		cur gladium eximis?	
Tit.	<i>ad Sulpicium</i>		
	Absiste.		
Sul.	<i>ad Tiberium</i>		
	Consul imperat.		
Tib.		genitor?	
Sul.		vetat	
	Ingressum amicis vel Tito egressum dari.		
Tib.	Nam cur?		
Tit.		facesse, Sulpici; patri obsequar.	

## Scena septima

Tiberius, Titus

Tib.	Loquere: quis error plectit insontem Titum? Sontemque fratrem absolvit?	615
Tit.		ignotum hactenus
	Cognosce fratrem, fratri et mentem accipe: Consul fremebat, quaeque narravit modo, Ambigua metuens dicta, inexpertum nihil Fuerat minarum, nil relicturus doli,	620
	Dum factionis auctor et sceleris caput Oculis pateret. fateor haud animum levis Formido cepit, ne quis oppressus metu Patri indicaret, quidquid occultum hactenus	
	Sceleris remansit. ergo quod solum super Pro te licebat facere, me feci reum. Sic innocentia fraude deceptus pater Se nosse certum sceleris auctorem putat. Credit nocentem, facere quem solus potest Fecitque amor fraternus.	625

Tib.	o amor! o Tite!	630
	Meliore dignus fratre, tu me sic ames, Sic immerentem, dubia cui fratriis fides Potuit videri? sponte sic fias nocens Pro me nocente et funeri obiectes caput?	
	Ah! parce fratrem, frater, indignum tuo Amare damno; redde, quae lingua impotens Congessit in te probra: crudelem, impium, Male suspicacem, perfidum, ingratum voca; Infer merenti, quam tibi immerito necem Manus parabat.	635
Tit.	ista non reddam probra,	640
	Quae dederat error; dextra nec fratrem ferit, Propria redemptum morte quem volui et volo.	
Tib.	At redde saltem, redde mihi crimen meum.	
Tit.	Si reddo crimen, iam fidem obstrictam tibi Resolvo, fio perfidus; nec iam tuum Scelus esse dicas, quod Titus fecit suum. Unum oro, de te si quid hac merui fide, Dum patris ira detonat nostrum in caput Vel dum residat, hinc fuge aut potius sile: Amore nostro fruere.	645
Tib.	quid suades, Tite?	650
	Fugiam aut silebo, dum neci addictus manes? Vivam periclo fratri? ah! potius ... ratum est: Me, me indicabo Consuli; occultum scelus Coram fatebor.	
Tit.	hei mihi! quo te abripit	
	Male sanus ardor?	
Tib.	te neci ereptum volo,	655
	Volo perire.	
Tit.	vis perire et me simul	
	Perire tecum; dum neci ereptum cupis, Fratrem ipse perdis. an mihi ignoscet pater, Cum me fuisse consicum culpae sciet?	
	Ah! vive, Tiberi, vive securus mei.	660
Tib.	Mihi tibique consulam ... Albinum pater Dimisit ultro; te, vel invito patre, Patris furori subtraham. inveni modum ... Bene est: vel ambos gladius incolumes dabit,	
	Vel ego peribo primus. aggrediar nefas; Audebo, quidquid et mea et fratriis salus Audere suadet. nil moror. reducem brevi Fratrem videbis vel modo extinctum audies.	665
Tit.	Qua mente, quonam tendis?	

Tib.	ad mortem reus	
	Vel ad triumphum victor.	
Tit.	heu! quales tibi	670
	Spondes triumphos!	
Tib.	iste quos gladius dabit.	
	Urbem recludo, sceptralia Tarquiniis sua	
	Restituo, fasces Consuli, fratrem patri	
	Eripio vel me denique hic sisto reum.	
	Hinc mors, triumphus inde; quam sortem mihi	675
	Fortuna dederit, corde sedato feram,	
	Utraque laetus, dum Titus vivat.	
Tit.	Titum	
	Omitte; vive, frater, et vivat pater.	
	Quocumque casus ducet armatam manum,	
	Ubique patrem agnoscat. hoc fratrem precor,	680
	Per si quid usquam ... sed meas durus preces	
	Non audit. illuc fertur insano impetu,	
	Quo pellit ira. heu! frater ad pugnam ruit,	
	Hostisque pater est. quantus obiicitur timor	
	Hinc, inde! frater ne patri occurrat furens,	685
	Pater ne fratri, et alter alterius manu ...	
	Quid lingua loqueris? ... desine ... horrendum nefas	
	Prohibete, Superi! sanguinem effundi pium	
	Ne sinite. vel si sanguinem effundi placet,	
	Hanc si medelam patriae poscit salus,	690
	Meum cruentum fundite. en, adsum Titus,	
	Devota vobis victima, ultores Dei.	

## Actus quartus

### Scena prima

Tiberius, Marcus Valerius

Marc. Consiste, Tiberi; da, precor, monitis locum:  
Attende.

Tib. nullus insuper precibus locus,  
Auremque monitis tandiu ignavis pudet  
Dedisse. fixum est, quando nil ferro licet  
Tentare, patri crimen exponam meum  
Adimamque fratri crimen. ah! nimium diu  
Errore captus credit insoltem pater,  
Qui nil inausum liquit, et sontem putat,  
Qui facere nil est ausus et potuit nihil  
Amare praeter. iam satis silui hactenus,  
Sceleratus ut sim. plusque peccavi silens,  
Quam dum rebelles suscito in patriam manus.  
Pateat oportet Consuli, pateat scelus,  
Quodcumque feci.

695

700

705

Marc. quale in exitium ruis?  
Qua mente Brutus audiet tantum nefas?  
Quid faciet aut omittet?

Tib. iratus fremat,  
Distringat ensem, mille poenarum modos  
Absumat in me; dum Titum absolvat, nihil  
Poena recuso.

710

Marc. loquere, quandoquidem lubet.  
I, perge, Tiberi, me patri sistam quoque;  
Sontem fatebor, offeram letho caput,  
Lentumque in iras, parcere et promptum nimis  
Pectus paternum, patris exemplo tui,  
Acuam, excitabo.

715

Tib. quid caput frustra iuvet  
Offerre letho? vive, Tarquinis opem  
Ut ferre possis, fata si quando sinent.  
Iniqua quanquam fata vix ultra reor  
Favere coeptis velle. si vellent Dei  
Revocare Reges, hac forent usi manu.  
At nolle quantis, Marce, documentis probant?  
Aquilius aegre trahitur in partes meas,  
Tandemque tractus spem mihi magnam facit.  
Sed mox cadendo nos in exitium trahit

720

725

- Brutoque primus indicat nati scelus;  
 Se deinde patri prodit imprudens Titus  
 Et, me periclis dum optat in columem suis,  
 Servando perdit. copta quae damnant Dei,  
 Damnemus ipsi. vade: Tarquinios doce,  
 Si forte poteris, vota quae fuerint mihi,  
 Dum sors sinebat, mente qua sortem feram.  
 Regum dolebam fata; cum discent mea,  
 Doleant vicissim, mortis hoc pretium annuant.  
 Unum hoc reposco. Consul occurrit, vale. 730
- Marc. At non sinam perire properantem mori;  
 Valerium adibo, ut arceat Bruti manum. 735

## Scena secunda

Brutus, Tiberius

- Bru. Tene otiosum, desidem, obscure domi  
 Video latentem, nate, dum patriae salus  
 Opem reposcit? siccine obsequeris patri?  
 Sic tela frangis hostium, extinguis faces,  
 Consilia reprimis? 740
- Tib. poenitet dudum otii  
 Pudetque. sed ne desidem accusa manum:  
 Servit patri patriaeque, dum cessat, manus  
 Minusque faceret, illa si faceret magis.  
 Ne quaere plura: quidquid occultum est doli,  
 Hoc tibi revelo, sceleris auctorem affero. 745
- Bru. Ah! nate, ut isto nuntio recreas patrem!  
 Servate, Superi, quod mihi solum est super  
 Patriae labantis columen et generis decus!  
 Accede, Tiberi, digne complexu patris,  
 Accede ... refugis, quid retro vultum refers?  
 Patrem intuere, amplectere. 750
- Tib. ah! genitor, cave  
 Temerare sanctas perfidi amplexu genas.
- Bru. Quo verba spectant ista?
- Tib. quem amplecti putas? 755
- Bru. Tiberium, amantis dulce solamen patris,  
 Spem patriae.

- Tib. erras, Consul. amplexu petis  
Fatale monstrum, patriae bustum et domus:  
Natum rebellem, parricidam.
- Bru. tu quoque,  
Dilecte fili, tu mihi bellum paras? 760  
Sed fallis, animum novi, amas patriam et patrem.
- Tib. Si restitutum velle Tarquinii genus  
Amare patriam est, hanc amo.
- Bru. o Superi! patrem  
Quianam dedistis esse? vel prolem mihi  
Quianam dedistis perfidam? hoc deerat mihi; 765  
In hunc dolorem triste servastis caput,  
Ut nisi rebellis nulla progenies foret  
Misero parenti.
- Tib. parce de Superis queri.  
Tuis dederunt grande solamen malis,  
Cum tibi relictus, fida progenies, Titus. 770
- Bru. Mihi cum relictus fida progenies Titus?  
Qui nempe fratrem crimine implicuit suo.  
Ah! nate, tene perfidi alloquio frui  
Demens sinebam, sceleris ut socius fores?  
Tene ille pravum docuit exemplum sequi, 775  
Quem tu sequentem prava debueras tuis  
Revocare dictis? sed mihi poenas dabit:  
Suum tuumque funere expendet scelus.
- Tib. Quid immerentem funeri addicis Titum?  
Nil fecit ille nec mihi suasit scelus. 780  
Sonus nocentem hunc fecit imprudens amor.
- Bru. At cur sinebas argui sceleris Titum,  
Si non nocens est, si tuum totum est scelus?  
Quin ipse te, sacrilege, sistebas reum?  
Perire patriam scilicet visum est leve, 785  
Nisi et periret frater.
- Tib. haud tantos capit  
Animus furores. scelera scivisses mea,  
Cum se nocentem fingeret frater, nisi  
Errore captus crederem infidum mihi  
Patrique fidum, scelera confessum mea. 790
- Bru. Saltem venires postea et falso obrutum  
Scelere levares.
- Tib. credidi ferro viam  
Aperiri ad hostes posse; sperabam tuis  
Eripere fratrem manibus et solio exules  
Revocare Reges. silui. at egressum mihi  
Postquam negatum video, me sisto reum:  
Solvo innocentem crimine. 795

Bru.	ah! nimium liquet!	
	Qui se fateri sceleris haud metuit reum, Nec esse timuit; ne tamen temere nimis Videar fatenti credere, hic rursum iuvat Audire fratrem. miles, i, propera, Titum Accerse ... forsitan ludis incautum patrem; At non inultus ludar.	800
Tib.	errorem levo,	
	Non ludo.	
Bru.	sed age, loquere, quis coepti comes? Quinam fuere consciī?	
Tib.	frustra rogas.	805
	Omitte plura quaerere, hic coepti ducem, Socios, ministros, omnia in me uno vides. Rescinde caput hoc, omne rescindes malum.	
Bru.	Parebo monitis: perfidum, ingratum caput Brevi revellam.	
Tib.	<i>ensem patri porrigit.</i> vindicem gladium accipe.	810
Bru.	<i>filii ensem tenens</i> Tales in usus nempe concessus fuit? Dederam imbuendum sanguine hostili, refers Avidum paterni sanguinis. <i>ensem filii tradit militi.</i>	
Tib.	refero, ut sinu Meo recondas.	

### Scena tertia

Brutus, Tiberius, Titus

Bru.	ergo fallebas, Tite.	
	Atque ut nocentem debitae eriperes neci, Tu coeco amore factus in patrem nocens.	815
Tit.	Non te fefelli, genitor: en, adsum reus.	
Tib.	Simulare tandem parce; fraterno datum Nimis est amoris.	
Tit.	crimini nimium dedit, Simulare falso crimen ut possit Titus.	820
Tib.	Frustra nocentis nomen ulterius velis Praeripere, frater: cuncta me sontem probant;	

	Et, si quid ultra dubitat incertus pater, Dubium revellam, sceleris indicium dabo.	
Tit.	Et mihi fatenti si pater credit parum, Certis revincam testibus.	825
Bru.	vestram fidem, Coelicolae! eone quemquam agat praecips furor, Ut perduellis vindicet laudem sibi, Alienum adoptet crimen et timeat magis Insons videri, quam nocens! agite impii, <i>sedet medius inter filios.</i>	830
	Quo teste tandem uterque se sontem probat?	
Tit.	Hac teste lingua, quae revelavit scelus.	
Tib.	Hac dextera, quae saepe tentavit scelus.	
<Tit.>	Tu testis ipse, frater, et amica manu, Quoties madentes tesseris fletu genas, Dum fata Regum dura et exilium queror.	835
Tib.	Tu testis ipse, frater, et quoties pius Nudum furenti extorseris ferrum manu, Dum iura Regum prodita ulcisci paro.	
Tit.	Et ultus illa iam diu fuerat Titus, Si dextra sciret pectoris vota exequi.	840
Tib.	Et illa gladius esset hac ultus die, Si non fuorem frangeres lacryma et prece.	
Bru.	Ah! parricida, proditor!	
Tib.	simulat Titus. Ne crede, genitor: hunc amor sontem facit.	845
Tit.	Hoc crede, genitor: me facit sontem scelus.	
Tib.	Quodcumque memorat crimen, hoc totum est meum.	
Tit.	Et quidquid usquam sceleris audisti, meum est.	
Bru.	<i>surgens gladium stringit.</i> Adeste. maius sceleris indicium volo.	
	Scelus est probandum scelere. uter vestrum capit	
	Mergitur ferrum hoc pectore?	
Tit.	hoc mergam sinu.	
	Da, genitor, ensem.	
Tib.	non tuo, at sonti, at meo	
	Ferrum inserendum est pectori. hunc gladium, pater	
Tit.	Permitte. meus est.	
Bru.	<i>resumens gladium</i> neuter hoc animo capit,	
	Quo trado; uterque omittat. alteruter manum	
	Admoveat ensi, pectus ut feriat meum.	
	Quid horruistis? quid, nimis sero pii,	
	Crimen refugitis? nempe magnanimos pudet	
	Hostem ferire, sponte qui ferrum subit.	
	Ne pudeat: animis, unde iam pietas, fides,	860

	Amor recessit, cedat imbellis pudor ... Sed gemit uterque: fallor! an lacrymis quoque Vultus madentes cerno; nil lacrymis opus, Sed opus amore est. ergo si quis amas patrem, Simulare crimen desine, ut pateat reus.	865
Tib.	Quid quaeris ultra? non reus patuit satis?	
Tit.	Amo parentem et sum reus.	
Tib.	Reges amo	
Bru.	Patremque. patrem amatis, infandum genus! Iudemque amatis capita, queis iussit pater Aeterna iurare odia. ne sit iam labor Ambire laudem criminis: voluit reus Uterque fieri, uterque se fecit reum, Utrumque plectam. spernitis Brutum patrem; At sentietis iudicem.	870

### Scena quarta

Brutus, Publius Valerius, Tiberius, Titus

Pub.	quis te dolor	
	Agit impotentem, Brute? quid torvis minax	875
	Absistit oculis flamma, dum nati ingemunt	
	Terraeque fixos luminum obtutus tenent	
	Altum silentes?	
Bru.	ah!	
Pub.	siles.	
Bru.	sileam an loquar?	
	Miserum parentem, perfidam sobolem vides,	
	Quae restitutum Regibus sceptrum velit.	880
Pub.	Superi! quis aures horror implevit meas?	
	Ament Tyrannos! oderint patriam Titus	
	Fraterque! vinclis tradere hanc iterum velint,	
	Parente Bruto et Consule?	
Bru.	haud satis: hoc quoque,	
	Hoc gloriantur crimine.	
Pub.	ah! Tiberi, ah! Tite,	885
	Quo vos iniqua in barbaros pietas tulit?	
Bru.	Absiste, Valeri, monstra ne tangas, cave!	
	Piget intueri perfidos. miles, procul	
	Invisa remove capita, quae coelum nocens	

	Faciunt nocenti spiritu. fugite, impii, Donec Senatus audiat vestrum scelus Et ipse poenas exigat meritis pares.	890
Tit.	Quid opus Senatu iudice? en, mortem reus Ultro precatur.	
Tib.	ipse sit iudex pater, Sit ipse tortor et reum plectat nece.	895

### Scena quinta

Brutus, Publius Valerius, Sulpicius

Pub.	Credamne dictis, Brute? tu natos velis Coram Senatu facere perfidia reos?	
Bru.	Fixum ratumque. Sulpici, iussa excipe, Centum vocati in curiam coeant patres.	
Pub.	Ne, quaeso, ne te longius rapiat dolor. Nosti Senatum: sanctus est. at non habet Pectus paternum oculosque. non ille in reis Natos videbit, ut videt iudex pater; Unum videbit crimen. illius manum Iustitia vindex, non amor patrius reget.	900
	Ah! Brute, quoties ipse duritiem tibi Tuam exprobrates, si, quod avertant Dei, Natos Senatus morte damnaret tuos, Te scilicet poscente?	905
Bru.	quod fieri decet, Faceret Senatus; ipse quod facerem parens.	
Pub.	Palo alligatos brachia infami, pater, Natos videres cadere lictoris manu?	910
Bru.	Sicco viderem lumine.	
Pub.	ah! melius, precor, Quid sit patrem esse, disce.	
Bru.	iam didici satis: Proprium cruentum fundere haud timeat pater,	
	Ubi cruentum dira corrupit lues.	915
Pub.	Generosus ut sit, sit tamen clemens pater Parcatque natis: durum, inhumanum patrem Natura damnat.	
Bru.	Consulem ignavum haud probat Patria nec esse civium agnoscit patrem.	920

- |      |   |     |
|------|---|-----|
| Pub. | At nec severum Consulem et rigidum nimis<br>Patria probarit. displicet populis rigor,<br>Et liberae urbi lenitas semper placet.<br>Adhuc magistra regeret imperium manu,<br>Si non severus, durus, inclemens foret<br>Tarquinius.   | 925 |
| Bru. | et adhuc iura Romanis daret,<br>Si non remissus, mollis, indulgens foret<br>Tarquinius. illum paterer imperio frui<br>Nec in parente plecterem nati scelus,<br>Si non scelesto parceret nato pater.<br>Quidam est salubris et pie saevus rigor,<br>Acerba quaedam est, impia, exitium sibi<br>Ferens et aliis lenitas. parcit male,<br>Quicunque nescit plectere. | 930 |
| Pub. | at tuto parum<br>Adhuc recentis corpore imperii cruor<br>Elicitur.  | 935 |
| Bru. | aegro corpore imperii cruor<br>Si non repente elicetur, haud stabit diu.<br>Imperia nulla sede stant melius sua,<br>Quam quae nocentum firmat effusus cruor.<br>Haec nostra mens est. si sapis, melius doce<br>Coram Senatu; ipsique decernant patres,<br>Deceatne plecti capite an absolvi reos.   | 940 |

## Actus quintus

### Scena prima

Publius Valerius, Marcus Valerius

- Marc. Servata per te capita dum meritas agant  
Per se ipsa grates, liceat illorum vicem,  
Genitor, obire; his vocis officium meae  
Praestare liceat, quos loqui prohibet pater. 945  
Quod non Senatus morte damnavit reos  
Ambosque patri reddit, hoc debent tibi.  
Tu corda flectis iudicum, patrios doces  
Accipere sensus, tu reis praestas patrem  
Ipsamque rigidi dexteram exarmas patris. 950
- Pub. Nondum parentis dextera ferrum excidit.  
Natos ferire, perdere etiam nunc potest,  
Perdatque, vereor.
- Marc. perderet natos pater,  
Quibus pepereit iudicum sanctus rigor! 955
- Pub. Ipsum rigorem iudicum vincit suo  
Brutus rigore aut esse vincendum putat.
- Marc. Miseranda proles, nacta tam durum patrem!
- Pub. Miseranda proles, ipse miserandus pater  
Ipsaque prole, cuius exitium times 960  
Et dura quereris fata, miserandus magis.  
O nate! patri quantus incumbit dolor,  
Si quando proles impia indignum scelus  
In se recepit seque degenerem exhibit  
Animi paterni! quanta tunc fervet sinu  
Odii et amoris pugna! quam patrem piget 965
- Tunc esse patrem! tu meae columen domus,  
Tu me tua virtute felicem facis.  
At, si qua labes pectus inficiat tuum  
Meumque nomen, si quid exemplo Titi  
Tiberive pecces, iam probrum fias domus  
Luctusque patris; iam mihi sobolem quera<r>  
Dedisse Superos, nate ... suspiras ... madent  
Suffusa fletu lumina; hos fletus preme.  
Non haec querentis sunt vel irati patris, 970
- Sed verba amantis.
- Marc. si me amas, veniam Tito  
Fratrique, genitor, impetra.
- Pub. iam petii et petam.

- Marc. Sic pete, precare et obsecra, ut tandem annuat  
Consul coactus.

Pub. Consulem an cogi licet?  
An sic precari Consulem veniam decet?

Marc. Illam petendo cogita forsan mihi  
Te petere.

Pub. quid ais, nate?

Marc. sat dixi, pater,  
Aut si requiris plura ...

Pub. nil quaero, sile:  
Absiste, crimen patere mihi semper tuum,  
Quodcumque sit, latere; si vere es reus,  
Veniam merere et patriae vive ac patri.

Marc. Iubes silere; pareo. hoc dicam tamen:  
Servare natum si cupis, serva reos.

Pub. *solus*  
Quid esse credam? an ipse concepit nefas?  
Simulatne? ... simulat nec fuit culpae reus.  
Tiberium amat Titumque: concessam cupid  
Utrique veniam; ut impetrem, fingit scelus.  
Dolus est amantis.

## Scena secunda

Brutus, Publius Valerius

- |      |  |      |
|------|--|------|
| Bru. | ecquid hoc iterum reddit                       |      |
|      | Valerius?                                      |      |
| Pub. | aequum, Brute, se probat et tuis               |      |
|      | Dignum Senatus praemium meritis refert,        | 995  |
|      | Dum, quos nefando crimine ignaros doli         |      |
|      | Implicit error, poscere ad poenas negat.       |      |
|      | Illum parentem nempe conscriptos patres        |      |
|      | Non decuit orbum facere, per quem sunt patres, |      |
|      | Per quem fruuntur liberis.                     |      |
| Bru. | si se probat                                   | 1000 |
|      | Aequum Senatus, quod dat exemplum, sequar.     |      |
| Pub. | Ergo remittes liberis poenam tuis?             |      |
|      | Ah! Brute, ut ista voce, ut hoc animo places!  |      |
|      | Hic te parentem agnosco, quin autem moras      |      |
|      | Abrumpis omnes? quin frui coelo imperas        |      |
|      |  | 1005 |

Bru.	Natos aperto? redde conspectum patris Ipsumque amorem redde. quid cessas? siles.	
Bru.	Quid siscitaris plura? vox una haec satis: Quod agere deceat Consulem et Brutum, hoc agam.	
Pub.	Aperta loquere, num reis veniam dabis?	1010
Bru.	Videbo.	
Pub.	tu videbis! ah! video, nimis Nimiumque loqueris. liberis mortem paras. Decreta res est. at mihi certum est quoque Non ante gressum efferre, quam veniam annuas. Quod si rogandus parcat ut soboli pater, <i>apprehendit manum Bruti, ut osculetur.</i>	1015
	Humilia si requiris obsequia, en, precor. <i>manum subtrahens</i>	
Bru.	Collega, quid agis?	
Pub.	Consulem Consul rogo Nec pro salute liberum amplecti patris Dextram erubesco.	
Bru.	liceat o utinam tuis Annuere veniam precibus! annuerem lubens. Nec dum statutum est liberos morti dare Aut liberare morte. me sobolis modo Statuit Senatus iudicem, spatum exigunt Iudicia. tu permitte consiliis moram.	1020
Pub.	Permitto; tu, quaeso, obsecro, qui sis vide. Pater es; paterno nomine indignum nihil Admitte.	1025
Bru.	quis ego sim, palam haec faciet dies.	

### Scena tertia

#### Brutus *solas*

Bru.	Proh quale munus, patria, imponis mihi! Quo fervet aestu, quam asperas patitur vices Distractus hinc inde animus! infelix pater Miserque Consul! quo feram ancipitem gradum? Hortatur inde Consulem patria, hinc patrem Amor paternus retinet; ultricem manum Patria reposcit, sistit ultricem manum Natura: victrix utra cor victum reget?	1030
	Consulne patrem an Consulem vincet pater?	1035

Si parco soboli et sanguinis vocem sequor,  
 Quid Roma, quae me Consulem elegit sibi,  
 Quae mihi secures criminum ultrices dedit,  
 Quae iudicandos tradidit natos mihi? 1040  
 Si plecto sobolem et patriae vocem sequor,  
 De me quid Orbis sentiet? quo nam ferent  
 Animo nepotes barbarum facinus patris?  
 Potero ipse vocem sanguinis querulam pati?  
 O rigida utrinque fata, quae pariter iubent 1045  
 Vel Consulem ignavum esse vel acerbum patrem!  
 Resume fasces, Roma, pretiosos nimis,  
 Si sunt futuri sanguinis pretium mei.  
 Ah! vivite ambo, vivite, o nati, licet.  
 Patitur Senatus vivere et patitur pater. 1050  
 Ergo rebelles perfidi, ingrati, impii  
 Impune vivant patris et patriae in sinu,  
 Vidente Bruto et Consule! ah! potius cito  
 Pereant rebelles. patris imperio cadant.  
 Adeste lictor, Sulpici.

### Scena quarta

Brutus, Sulpicius, Milites

Sul. en, promptos vides. 1055  
 Bru. Utrumque natum, lictor, huc sisti volo:  
 Tu perge, propera.  
 Sul. quo iubes?  
 Bru. *a parte*  
                           quid agis, miser  
 Et dure genitor? quos neci properas dare?  
 Mandare poterit lingua tam tetrum nefas?  
 Meone atroces sanguine aspergam manus? 1060  
 Quanquam, quid ultra sanguinem appello meum?  
 Pium, innocentem, criminis purum dedi;  
 Illum nocentem, perfidum, impurum, impium  
 Fecere nati. hostilis est nec iam meus,  
 Fundatur ... eheu sanguinem frustra meum  
 Abdico, reclamat sanguis. o patris potens 1065  
 Blandumque nomen! trepida quo virtus fugit?  
 Odisse natos perfidos volo nec potest  
 Imbelli pectus: etiam amat. pereant tamen:

	Quo cariores, hoc rei magis, hoc magis Meruere mortem, hoc Roma debet magis. At enim Senatus morte non damnat reos. An, si Senatus Consuli indulgens suo Plectendum in aliis, in meis dubitat scelus Punire, dubitem Consul? exemplo decet Probare, quid sit Consul. exemplo decet Terrere, quotquot patriae bellum parant. Cede ergo, licet invictus ac vinci dolens, Amor paternè, cede: amor patriae iubet Et, quam obligavi Romulo et Superis, fides.	1070
	I, perge tandem, Sulpici, natis para Infame, quod meruere, supplicii genus.	1075
Sul.	Quam dura Bruti imperia! quam durae facis Sortis ministrum!	
Bru.	abscede nec miseri patris Loquendo luctus aspera. en, proles subit, Et iam rebellat pectore exurgens amor. Age pectus, animos Consulis dignos cape.	1080
		1085

### Scena quinta

Brutus, Tiberius, Titus

Tib.	Adsum vocatus. vivere an per te, pater, Nato licebit? an iubes natum mori?	
Tit.	Pater est supremus mortis ac vitae arbiter. Auferre lucem, quam dedit, si vult, potest. At non sinat paternus in natos amor.	1090
Bru.	Satis paternus patuit in natos amor. Nec vos amasse tandiu, immeritos licet, Poeniteat. unum poenitet, quod iam pie Non licet amare perfidos; et amo tamen Vel perfidos, vel sanguinis cupidos mei; Ambo parenti credite: infandum licet, Abominandum sitis aggressi nefas,	1095
	Tamen hoc inultus paterer et labem sinu Premarem sub alto, si patrem vester furor Spectaret unum. at patriam, at Romam petit, Cuius tueri iura et ulcisci decet, Pro qua decebat mille vos mortes pati,	1100
	Et dulce fuerat, anima si vobis foret	1105

- Romana, nati. at criminis tanti reos  
 Nec vos Senatus, ut velit, morti potest  
 Eximere, et ipsi non bene absolvant Dei.  
 Vos Roma damnat, nomine et patrum et Deum,  
 Brutumque poenas sumere ultrices iubet. 1110
- Durum est iubentis patriae imperia exequi,  
 Si poena in ipsum patriae ultorem cadit,  
 Scelerisque vindex parte se privat sui.  
 Ut dura sint imperia, parendum tamen.  
 Est liberanda, quam dedi Superis, fides. 1115
- Mors oppetenda est, ite, date ferro caput.  
 Mors oppetenda, et imperat mortem pater:  
 Ah! ...
- Tib. Tit.                   tune letho utrumque damnasti caput?  
 Bru. Utrumque.
- Tib. Tit.                   genitor, pedibus advolvor tuis.  
 Tib. Tit.                   Ad genua victus accido.
- Tib. Tit.                   haud vitam precor, 1120  
 Reus in parentem nec semel meritus mori.  
 Tib. Tit.                   Non oro veniam; frater ut vivat precor,  
 Nullo inquinatus scelere, quo mereat mori.  
 Tit. Tit.                   Non te movebunt lacrymae, quas non mihi,  
 Fratri sed uni impendit in luctus meos  
 Oculus avarus? 1125
- Tib. Tit.                   non movent suspiria,  
 Quae premeret imo corde generosus pudor,  
 Si non docerent fratris immeritae vices  
 Nihil pudere?
- Tit. Tit.                   ignosce. te patrem proba.  
 Tib. Tit.                   Me plece. fratri, qui meum scivit scelus,  
 Sed improbavit, parce. te iustum proba. 1130
- Bru. Tit.                   Surgite ... parentem nil movent lacrymae et preces.  
 Reus est uterque, et mente qui struxit dolos  
 Et qui silendo fratris adiuvit scelus;  
 Pereat uterque.
- Tit. Tit.                   ah! frater!  
 Tib. Tit.                   infelix Tite! 1135
- Tit. Tit.                   Morieris ergo?  
 Tib. Tit.                   fratris expendes scelus?
- Erumppe, quando nulla spes veniae super,  
 Erumppe tandem, qui loqui prohibes, pudor.  
 Aut quid vereris nescium flecti patrem?  
 Atrox, cruentus genitor, ergo sic amas?  
 Sed nunquam amasti. sola sanguineum regit 1140
- Ambitio pectus. quos tibi fasces dedit  
 Iniusta Roma, sanguine expendis tuo

	Emisque tanti, hos ne quis invideat tibi. I, nunc, Tyrannos patria exactos cane, Media Tyrannum in urbe dum Consul geris Mactasque natos; facinus ignotum hactenus Ipsis Tyrannis.	1145
Tit.	impotens loquitur dolor.	
Bru.	Ignosce, genitor.	
Bru.	peccat in solum patrem:	
Tib.	Ignosco.	
Tib.	nunc ignoscis, ah! potius feri! Quid lentus haeres? ipse quid lentus moror? Da, miles, ensem; poscitur sanguis: dabo. <i>militis in ensem ruit.</i>	1150
Bru.	Miles, furentem siste et ad palum trahe, Patriae immolandum.	
Tib.	contine indignas manus.	
	Ad mortem eundum est, ibo: nil opus est duce.	
	Adesto, adesto, Consul, et propius necem	1155
	Luminibus hauri. satia inexpletam sitim	
	Nostro cruento.	
Tit.	frater, expecta: sequor Mortemque obibo primus.	

### Scena sexta

Brutus, Titus

Tit.	en, morior, pater; Sic imperasti, morior et vitam lubens	1160
	Expendo. res haec una morituro facit	
	Iustos dolores: morior in patrem reus;	
	Ne moriar idem invitus et tantum feram	
	Luctum sub umbras, excipe amplexu pio	
	Amans amantem: hoc munus extremum dato.	1165
	Age, pande nato brachia; hoc te, per Deos,	
	Per istum amorem patriae ...	
Bru.	patriam invocas,	
	Quam prodisti nempe.	
Tit.	per amorem patris.	
Bru.	Accede, quamvis horreo, amplexum pete.	
Tit.	Isto beatus pignore ad mortem ruo.	1170
	Tu fruere laude, nostra quam tibi mors feret.	

Bru. *solus*  
Adeste, nunc adeste, Roma, Orbis, Dei:  
Utrum vocari patriae merear pater,  
Statuite. tuque sera posteritas, vide  
Et disce, quo Romana libertas mihi  
Sit empta pretio. heu! ... patrium pectus gemit.  
Igosce, Roma, ignosce neu gemitum exprobra.  
Tibi liberorum sanguinem impendo, offero;  
Gemitum rependo liberis, utrum hoc nimis?

## Scena septima

Brutus, Publius Valerius

Pub. Ah! Brute, quo mentem ira praecipitem rapit?  
Ubi illa, ubi petita consiliis mora?  
Vix esse iudex incipis, cum iam pater  
Non es vel esse desinis. natum iubes  
Utrumque cadere; dum loquor, forsitan cadunt.  
Iterum precantem respice ... immotus siles!  
Mandata revoca, vel ego ... 1185

## Scena octava

Brutus, Publius Valerius, Sulpicius

Sul.	lictoris manu
	Periit uterque natus; et pariter perit
	Proprio peremptus ense, confessus reum
	Tuus ipse, Valeri, Marcus.
Pub.	<i>egrediens e Theatro</i>
	o Superi.

Bru. bene est.  
Iam vindicata est Roma. nunc o, nunc meas  
Dii sospitales, aequa si posco, preces  
Audite: duro patriam exempti iugo;  
Hanc deinde si quis premere servitio velit,  
Exorere nostro sanguine impatiens iugi

Liberque civis, teste qui Roma novum  
Feriat Tyrannum, sitque fatale omnibus  
Nomen Tyrannis Brutus. hoc unum precor,  
Unum hoc parenti, Consuli, ulti or date.

1195

Finis

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1745. Zusätzlich verwiesen sei auf die mir erst zu spät bekannt gewordene Edition von Flammarion (Diss. 1994, erschienen 2002).

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets *i* für im Original mehrheitlich verwendetes *j* gedruckt. Immer groß geschrieben wurde: *Consul*, *Tyrannus*, *Orbis* und *Rex*, *Regnum*, *Regius* usw., *Superi* sowie 314, 397 *Deos*; klein dagegen: *pater*, *patres*, *patria*, *imperium* sowie 18 *triumphum*, 227 *relinquo*, 326f. *sacramentum*, 511 *legatum*, 610 *poenas*; zusammen 542, 1021 *necdum*, 1042 *quonam*.

30	<i>religio</i> statt <i>relligio</i>
834	Sprecher ergänzt
972	<i>querar</i> statt <i>quera</i>
1070	<i>cariores</i> statt <i>chariores</i>

‘Komma’ gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *sive*, *quam* u.ä.: 4, 5, 7, 20, 21, 33, 35, 41, 53, 58, 87, 95, 98, 103, 105, 112, 119, 120, 121, 122, 127, 142, 161, 165, 167, 168, 169, 173, 176, 183, 189, 193, 197, 217, 217, 226, 228, 237, 244, 246, 251, 252, 267, 279, 281, 282, 289, 290, 294, 297, 299, 301, 304, 310, 311, 313, 317, 321, 324, 325, 326, 345, 348, 358, 367, 380, 381, 381, 388, 389, 396, 397, 427, 429, 431, 445, 447, 451, 463, 465, 467, 476, 480, 482, 492, 493, 499, 500, 503, 505, 514, 523, 525, 526, 528, 533, 542, 553, 560, 569, 574, 578, 584, 591, 592, 610, 613, 621, 629, 634, 642, 648, 649, 651, 656, 661, 666, 668, 669, 674, 697, 701, 708, 725, 742, 744, 744, 750, 758, 761, 778, 780, 789, 791, 794, 829, 836, 843, 867, 867, 876, 878, 882, 884, 891, 895, 898, 902, 917, 920, 921, 928, 931, 942, 947, 950, 957, 959, 960, 964, 969, 970, 971, 975, 976, 977, 986, 986, 990, 991, 994, 1006, 1011, 1017, 1021, 1030, 1036, 1037, 1041, 1046, 1050, 1053, 1057, 1064, 1068, 1078, 1080, 1084, 1100, 1103, 1109, 1121, 1133, 1143, 1146, 1153, 1160, 1163, 1174, 1177, 1183, 1194

‘Komma’ gestrichen nach: 253 *meo*, 301 *domo*, 329 *metu*, 346 *honorem*, 701 *nihil*, 725 *cadendo*, 853 *pater*, 906 *tibi*, 966 *piget*, 1079 *iubet*, 1124 *quas* sowie im Argumentum nach *Vitelliis* und *Tarquinios*

‘Komma’ ergänzt: 121, 143 *et*, 164, 170, 173, 234 *iube*, 237 *et*, 245, 252, 262, 269, 277, 278 *admone*, 290 *et*, 292, 293 *sim*, 294, 296 *dedit*, 364, 408, 408, 415, 449 *pedes*, 456, 456, 465, 466, 468 *en*, 492 *et*, 508 *lictor*, 537, 551, 559 *en*, 568, 571, 583, 591 *sanguis*, 594 *feror*, 599 *advolta*, 600 *en*, 614, 624, 631 *ames*, 636, 639, 650, 653, 666, 691, 700 *putat*, 705 *scelus*, 728 *et*, 729, 737 *erras*, 806 *ducem*, 813, 817 *en*, 826, 853, 857 *quid*, 893, 900 *ne*, 909, 914, 924, 926, 941, 944 *vicem*, 954 *perdatque*, 982 *dixi*, 992, 999 *patres*, 1001 *exemplum*, 1016 *en*, 1025 *tu*, 1027, 1055 *en*, 1057 *agis*, 1076, 1077, 1080, 1080, 1082, 1082, 1085 *en*, 1137 *super*, 1138 *prohibes*, 1156 *adesto*, 1159 *en*, 1167, 1173, 1175

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 863, 884

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 54, 438, 496

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 300, 376, 683, 970

‘Punkt’ ergänzt: 613, 851, 1138, 1189 *Superi*

‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 17, 99, 122, 154, 159, 170, 183, 194, 224, 227, 269, 275, 280, 298, 335, 409, 425, 495, 497, 535, 582, 595, 795, 814 *Tite*, 863, 873, 904, 968, 1072, 1091, 1102, 1141

‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 34, 212, 314, 407, 724, 898, 901

‘Punkt’ statt ‘Komma’: 260, 757, 928, 1054 *Sulpici*, 1086, 1106

‘Strichpunkt’ gestrichen: 727 *Titus*

‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 211, 274, 534

‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 45, 67, 85, 88, 91, 99, 116, 212, 286, 341, 343, 405, 545, 549, 636, 638, 653, 662, 726, 765, 855, 945, 987, 1033, 1062, 1096, 1178, 1187

‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 48, 394, 557, 559, 565, 584, 606, 614, 710, 733, 736, 818, 863, 974, 992, 1097, 1162, 1166

‘Doppelpunkt’ gestrichen: 1158 *sequor*

‘Doppelpunkt’ ergänzt: 987

‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: 404, 652, 1192

‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 212, 302, 393, 901, 1158

‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 542, 556, 600, 617, 846, 1035, 1162, 1172

‘Fragezeichen’ ergänzt: 783, 784; statt ‘Ausrufezeichen’: 804

‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 652, 1150 *ah*; statt ‘Fragezeichen’: 479

‘Anführungszeichen’ ergänzt: 10ff., 586ff.